

„definitam quandam & certam ſummam mitarum [ita
„nuncupat minutiffimū illud ex plumbo monetæ genus
„Divæ illius effigiem præferens] quarum duodecim ſin-
„gulos valent denarios ſive (ut vulgo loquimur) groſſos
„Flandriæ. Et exponitur quidem plumbea iſta monetula
„per totam quam latè patet Hannoniam, uſque ad ipſam
„Bruxellam, ſic ut nemini liceat eam defugere. *Pag. 496.*

XXVI. Cæterum ſicuti Canonicorum ad vitam ſingula-
„larem tranſitus, nullatenus ipſos Canonicos exemit, quin
„juxta ſuam inſtitutionem *canonicè* vivant; uti latius ſupra
„tit. 7. c. 4. oſtenſum fuit, ita nec ſimilis Canonicarum à vita
„communi ad vitam ſingularem tranſitus efficere poteſt,
„quin juxta mentem Fundatorum, quamdiu de proventibus
„Eccleſiaſticis vivunt, ſe divino cultui conſecrent. Certum
„quippe & indubitatum eſt, proventus illos non alium in
„finem illis collegiis Canonicarum attributos, quam ut pu-
„ellæ in illis ſuſceptæ, & ex illis viventes, cultui Divino vacent,
„& canonicè & regulariter vivant.

Hodie verò præter Divini Officii, ſive Horarum Canonicarum perſolutionem nihil pene de vita Canonicali & Religioſa in vivendi ratione apud Canoniſtas noſtrates ſuperreſt, de reliquo inſtar puellarum nobilium ſæcularium, ſed ex bonis & proventibus Eccleſiaſticis viventes.

Hi ad quos horum collegiorum cura & regimen pertinent, deſpicere poſſunt, num ſimilis vivendi diſciplina conformis ſit menti ac voluntati Fundatorum, & utrum Eccleſia vitam illarum *ſingularem* tolerans, eam quoque vivendi rationem permittat.

XXVII. Eas reformari ſæculo præterito deſiderabat Synodus Colonienſis, atque in Ordinem ac quandam Eccleſiaſticam diſciplinam revocari. „Vitam, converſationem, „ac mores Canoniſtarum, quæ ſæculares ob id appellan- „tur, quod perpetuæ caſtitatis, ac reliqua vota monaſtica „non emittant, reformari omnino ducimus neceſſarium. „Nam vitam agunt plures nimis licentioſam, ac plerique „ſcandalofam. Quæ ut in ordinem & Eccleſiaſticam „quandam diſciplinam, quoad fieri poteſt, revocentur, „nobis cum viſitationem aggrediemur, curandum eſt.

XXVIII. Circa idem tempus Synodus Auguſtinenſis cap. 12. voluit, ut „canoniſtæ continentia ſtudio nulla voti „ſolemnitate obſtrictum ſectantes, commune habeant „dormitorium, habitum modeſto, mundo & caſtitatis in- „dice utantur. Magna quoque inſtituti ſui commoda (ait „Synodus) ex menſæ communione perciperent: ſi contra „inveteratum apud eas morem adduci ad hoc poſſent: „quod ut faciant, eas in Domino hortamur.

XXIX. Canoniſtarum vitæ laxioris genus cum iniquis ferrent puellæ Monafterii Horreenſis apud Treveros, abjecto canonicarum indumento & vitæ genere, ad S. Benedicti leges ſe revocarunt anno 1494. Eximio ſanè exemplo & hortatu D. Joanne de Bertſtein Abbatiffæ (ait Mabillonius loco citato) quæ avitam Ordinis Monafterii diſciplinam vetuſtate & morum corruptelâ collapſam reduxit.

XXX. Tametsi canonicæ hodiernæ à vita communi tranſierint ad vitam ſingularem; & à Sanctimonialibus, aut Canonicis quaſi Regularibus factæ ſint *ſæculares*, nihilominus reputantur etiamnum hodie corpus *Eccleſiaſticum*, nam uti rectè notat Bertrandus Loth in ſuis Reſolutionibus Belgicis *tract. 9. c. 2. art. 2.* „Præſens horum collegiorum ſtatus eſt, ut ſint Eccleſiæ collegiales ſæculares & tales agnoſcantur ab Ordinariis locorum; Capitula habeant & Eccleſias, quæ non ſunt nomina laica. Viſitantur auctoritate Eccleſiaſtica, vitæ inſtitutum ab eadem recipiunt, & ordinationes, cum opus eſt. In proceſſionibus non tantum inter Eccleſiaſticos procedunt, Sacerdotes, Sacellanos producunt & Canonicos de ſuo Collegio; ſed & ſupra reliquum Clerum ſuper eminent, digniſſimum locum ſuſtinente ipſâ Abbatiffâ, pedo, Prælatorum Eccleſiaſticorum inſignite lato.

XXXI. Quapropter Abbatiffæ horum Collegiorum, etiam ad Synodos, non ſecus ac quæ aliæ Abbatiffæ Regulares, & Capitula Eccleſiarum Collegiatarum vocantur. Et quidem Synodo Provinciali Cameracenſi anno 1565. ſubſcri-

bunt: „Margaretæ De Hinkaert Abbatiffæ de Malbodio „Joannes De Ramez Procurator. „Margaretæ De Noyelles Abbatiffæ de Nivella Alphonſus Deylleren U. J. Licentiaſ Procurator. „Domicellarum Capituli Sanctæ Valdetrudis Monteniſis Simon Boſquet Procurator.

XXXII. Hæc Collegia pleraque à Regibus fundata, etiam ſub *immediata* Regis protectione eſſe reputantur: deoque juxta Decretum Synodi Tridentinæ *ſeſſ. 22. can. 8. De Reformat.* ab Episcopis ſine Principis licentia viſitari non poſſe. Declarando enim quod Episcopi habeant jus viſitandi Hoſpitalia, Collegia quæcunque ac Conſraternitates laicorum, etiam quas ſcholas, ſive quocunque alio nomine vocant, ſubjicit hanc exceptionem: „*Non tam en qua ſub Regum IMMEDIATA protectione ſunt ſine eorum licentia.*

CAPUT III. De Beguinis.

1. Quo tempore inceperint Beguinæ in certum.
2. Sæculo 13. erant mulieres quæ dicebantur Beguinæ.
3. Mulieres illæ etiam ſ.ulo 14. videntur vixiſſe ſicut hodiernæ Devotariæ in domibus privatis.
4. Quædam illarum ſimul habitare, & ſub certis legibus vivere ceperunt.
5. Eccleſias Parochiales frequentabant & Presbyteri Parochialibus erant ſubjectæ, nec proprium Parochum habebant.
6. Habebant Directores & Directrices ſicut hodiernæ Devotariæ.
7. Interdum ex ſpeciali privilegio dabatur Capellanus, ſalvo jure Eccleſiæ Parochialis.
8. Hodiè plerique Beguinæ eſt proprius Parochus.
9. Olim Beguinæ à ſuis Directoribus & Directricibus normam vivendi accipiebant.
10. Primitus nullam profeſſionem emittebant: Quæ hodierna profeſſionis formula.
11. Vivendi diſciplinam in ſingulis pene Congregationibus olim erant diverſa, hodiè ſecus.
12. Quo tempore Beguinæ pleraque inſtituta, & quæ primus Fundator.
13. Sæculo 14. inſtitutum hoc non modicas ſubiit vexationes.
14. Variis illis adſcripti errores, & ſtatus earum damnatus, atque hinc & Belgicæ vexata fuerunt.
15. Joannes XXII. declaravit non omnes Beguinæ ea damnatione comprehendi.
16. Idem præcipit, ut Belgicæ Beguinæ à vexatione Episcoporum ſutarentur.
17. In Gallia inſtitutum Beguinarum deſiit & quare.
18. In quibus Beguinarum inſtitutum & moderna vitæ diſciplina conveniat cum Regulari.
19. Qua ratione Beguinæ cenſeri poſſint ſtatim aſſumpſiſſe, idque poſſe ratione quam Felice devota.

I. Quo tempore Beguinæ, quarum hodiè in Belgio vicinis aliquibus Provinciis magnus eſt numerus, initium ſumpſerint; ac præterum ad eam, quam modo obſervant vivendi normam, redactæ ſint, non parum obſcurum eſt.

II. De S. Ludovico Rege Galliarum ſcribit Thomas Cantipratanus *lib. 2. De Apibus c. 29. n. 49.* „Rex devotiffimus Ludovicus, in tantum amplectitur virginæ dignitatis pudicitiam ſectantes, ut Parisiis collegerit *Beguinarum* maximam multitudinem, ut ſe in humilitatis obſequiis exerceret & ſalute.

Et de Philippo Monmiraltio teſtatur ibidem *c. 38.* quod octo Monafteriorum Ordinis Cisterciensis Fundator extitit, „exceptis, ait, Congregationibus *Beguinarum*, quas „ad *quinque millia* & eo amplius in diverſis locis in Chriſti ſervitio mancipavit.

Quam vivendi rationem hæ mulieres, quæ Beguinæ hîc dicuntur, tunc tenerent, incertum eſt.

II. In *Extravagante RECTA Ratio De Religioſis domibus inter communes*, cujus auctor eſt Joannes XXII. dicitur: „In multis mundi partibus plurimæ ſunt mulieres, quæ „vulgo *Beguinæ* vocantur, ſegregatæ, quandoque in parentum, aut ſuis, interdum verò in aliis, aut conductis ſibi „communibus domibus ſimul habitantes.

Similiter idem Pontifex in litteris ad Episcopum cameracenſem, quas refert Miræus *lib. 1. Diplom. Belg. cap. 91.* teſtatur, quod relatione fide digna didicerit, plurimas eſſe in civitate & Diœceſi cameracenſi mulieres, *Beguinæ* ſimpliciter

citer nuncupatus, quæ in ſancta & ſolida ſimplicitate viventes, aliqua proprias aliqua patentum, aliqua conductas, vel ſibi communes, & cum honeſta familia domos inhabitantes, aliqua verò rerum cogente defectu, ſimul in iſdem domibus & diverſis Beginiis, ad majorem caſtitatis obſervantiam, commorantur.

Ex his aliisque monumentis rectè colligit Petrus Coens Canonicus Antverpienſis in Diſquifitione hiſtorica De Origine Beginarum *ſeſſ. 3.* non tantum eas, quæ in Congregationibus ſeu Beginiis habitabant ſed omnes Devotarias fuiſſe vocat. s communitè *Beguinæ*:

IV. Illarum quædam ſucceſſu temporis ſibi fecerunt congregationes & ordinationes ac egerunt Magiſtras, etiam antequam deſignatis locis ſimul in communi habitarent.

Cui conſonat quod ex Petro Herentalio reſertur in magno Chronico Belgico ad annum 1607. „Multæ mulieres „tam ſenes quam juvenes contempto ſæculo cum ſuis delectationibus, ſponſo qui in cælis eſt ſervire deſiderantes, fecerunt ſibi congregationes ſimul commorantes, & vocabantur *Beguinæ*.

V. In citata Extravagante Joannes XXII. uti & in ejuſdem litteris ad Episcopum Cameracenſem de his mulieribus *Beguinæ* reſertur: „Vitas deducunt honeſtas, Eccleſias „de nocte frequentant, Diœceſanis locorum & Parochialium Eccleſiarum reverenter obediunt.

Hinc conſtat, Beguinæ illas ſubjectas Presbyteri Parochialibus, nec tunc proprium Parochum habuiſſe. Si Petro Coens credimus in dicta Diſquifitione *ſeſſ. 1. n. 2.* „Habebant mulieres iſtæ & puellæ ſparſim per civitates & habitabant Directores & directrices, quæ zelo pietatis eum vivendi modum promovebant.

Sic ſcribit Thomas Cantipratanus *l. 2. De Apibus c. 30. §. 11.* Vide ſanctum virum magiſtrum Guidonem Presbyterum Beginarum in Nivella. Et *c. 54. §. 31.* meminit Eliſabeth de Gravo apud Nivellam in brabantia *magiſtra* 2000. *Beginarum*: cum tamen, uti obſervat Coenſius, nullum tunc Nivellæ eſſet Beginiis; ſed Beginæ habitarent ſparſim per civitates, ut ea de cauſa necelle fuerit, ibidem multiplicare Parochias.

VII. Ex archiviſ Capituli Antverpienſis profert Coenſius loco citato *n. 4.* fragmentum litterarum Episcopi Cameracenſis de anno 1313. per quas Beginis Antverpienſibus, de gratia ſpeciali, uſque ad revocationem conceſſit, ut in Capella *infirmaria* Beginiis dicti loci poſſent Miſſas & alia Divina officia facere celebrari per Sacerdotes, quorum Eccleſiæ debitis propter hoc officiis non fruſtrentur, *ſalvo jure Parochialis*.

Et anno 1236. Episcopus Cameracenſis concedens licentiam conſtruendi Valencenis in vico *de ſalice* Hoſpitale pro Beginis unâ indulget, quod „Capellanus qui in dicto Hoſpitale deſerviet, omnibus tam manentibus in ipſo Hoſpitale, quam aliis Religioſis mulieribus, quæ *Beguinæ* dicuntur, in vico eodem & vicina commorantibus, quæ per concilium Capellani ipſius Hoſpitals religioſi tenebant proſitum Eccleſiaſtica Sacramenta poterit miniſtrare, ubi quoque celebrabitur ſolemniter Divinū officium, &c. His autem omnibus ſalvis Presbyter S. Nicolai in omnibus perſonis prædictis curam parochialem habeat, &c. Ibidem *n. 6.*

VIII. Cùm verò multiplicatis Beginis viderentur inconveniens, imò & periculoſum, quod earum tanta multitudo quotidie per civitatem tranſire deberet ad Eccleſiam Parochialem, Beginiis priorum Fundatores, quin & ſenſim ſeparatæ Beginæ ab Episcopis poſtularunt & obtinuerunt ſeparatum Beginiis, ſive Eccleſiæ ſuæ à Parochia; nec non proprios Paſtores Parochiarum Paſtoribus non ſubjectos neque ab his dependentes, quales hodiè pleraque Beginiis habent.

IX. Quemadmodum hodiernæ mulieres quas *Devotarias* dicimus, tametsi etiam plures ſimul in una Congregatione vivunt, non ſolent ab Episcopis, ſed à ſuis Directoribus aut etiam à ſuis Magiſtris ſtatuta & normam vivendi accipere; ita & Beginæ primitus à ſuis Paſtoribus & Magiſtris vitæ normam accipiebant.

In litteris Episcopi Cameracenſis, quibus communicatur Bulla Joannis XXII. (de qua ſupra) conceditur, ut Beginæ ſub *obedientia Magiſtrarum* in habitu grifeo humili & honeſto remaneant, nulla ſtatutorū facta mentione ut non obſcurum ſit, tunc tēporis nulla adhuc fuiſſe Beginarum ſtatuta ſpecialia, ſed in vivendi norma à directione & voluntate Magiſtrarum & Directorū dependiſſe, ſicuti hodiè filiarum illarum, quas *Devotarias* dicimus.

X. Notat Coenſius *ſeſſ. 2. n. 17.* quod primitus Beginæ, quemadmodum hodiè noſtræ Devotariæ, nullam ſolebant profeſſionem facere, ſed ſolâ veſtium mutatione, & cum aliis communi habitatione fierent Beginæ; atque poſterioribus dumtaxat temporibus præſcripta eſſe hodiernæ profeſſionis formulam, quæ his verbis exprimitur: *Ego N. promitto tibi D. Parochiano & Magiſtris nunc exiſtentibus & futuris obedientiam & caſtatem tam diu ac in Curia Begina habitabo.*

XI. Cum verò vivendi diſciplina penderet à ſingulari Congregationum Directoribus & Directricibus, varia erat penè ſingularum Congregationum vivendi norma; quam diverſitate minus convenientem judicans Archiepiſcopus Mechlinienſis Hauchinus ſub finem præcedentis ſæculi, ex variis ordinationibus ſelegit puncta utiliora & convenientiora, quibus omnes *unanimitè*, ſalutariter & virtuoſè in ejuſmodi Congregatione poſſent converſari & peſſeverare, renovans & annullans omnes præcedentes ordinationes & ſtatuta quæ Beginæ in conſuetudine, cernebant, unde & habitū quem modo geſtant, votum quod emittunt, præſcriptis; quæ etiam in aliis quibusdā Diœceſibus abſque ordinatione proprii Episcopi fuerunt acceptata vel iſis conformia ab Ordinariis prout ab III. D. A. Bergis Antverpiæ, fuere propoſita, ita ut III. D. Hauchinus ſaltem in Brabantia, merito dici poſſit Patriarcha Beginarum, cum inſtitutum iſtud eo modo reformavit, & ad majorem perduxit perfectionem, quam antea ibidem unquam habuit & Beginæ Diœceſis iſtius, quæ prius propter diverſitatem Statutorū erant quaſi diverſi inſtituti, fecit eſſe ejuſdem & uniſis moris.

Ex hæcenus dictis facile eſt colligere, Beginæ ſenſum, nec ubique eodem tempore ad eam vivendi rationem, quam hodiè plerique in locis obſervant, petigiſſe.

XII. Pleraque in Belgio ac locis circumvicinis Beginæ ſæculo 13. & 14. erecta fuiſſe, ex fundationum monumentis oſtendit Coenſius in ſæpius allegata Diſquifitione *ſeſſ. 4.* creditque omnium antiquiſſimum eſſe Leodiense inſtitutum, ut ipſe putat, à quodam Lamberto *Le Begues*: de quo in magno Belgii Chronico legitur ad annum 1168. „Apud Leodium electum eſt in Episcopum Raduiphus: „ille præbendas & beneficia per Udelinum carnificem vendebat ad quem propter hæc multi conſuebant, contra quod homo quidam publicè prædicavit, & quidem ſine malitia. Prælati indignati, per Episcopum capi illum faciunt, & ducentes per Eccleſiam, unguibus impingunt: ipſe verò prophetando dixit: heu, dies venient cum ſubtus altare B. Mariæ porci terram effodient, quod poſt accidit, Vocabatur ille Lambertus Begge, à cujus nomine adhuc Beginæ vocantur, quia primus invenit Ordinem Beginarum, & eis primum caſtatis normam verbo & exemplo prædicavit.

XIII. Quidquid ſit de Beginiis Leodiensis antiquitate, aut Beginarum primo Auctore, aut earum origine, illud certius eſt, quod ſæculo 14. non modicas aut leves hoc inſtitutum ſubierit difficultates; eò quod nonnullæ mulieres præſertim in Alemania dictæ Beginæ, & vicè earum inſtitutum æmulantes dicti *Begardi* apud Sedem Apoſtolicam fuiſſent infamati, quaſi de Summa Trinitate & Divina eſſentia diſputarent & prædicarent, ac circa Articulos fidei & Eccleſiaſtica Sacramenta opiniones Catholicae fidei contrarias introducerent, & multorum ſimplicium animas in diverſos errores inducerent.

XIV. Errores illis adſcripti referuntur in *Clemēna AD NOTAM De Hæreticis*, & in *Clementina CUM DE QUIBUSDAM De Religioſis Domibus*, ſub nomine Concilii Viennienſis, ubi erroribus Beginarum relatis, earū ſtatū damnatio his verbis

verbis exprimitur: "Nos tam ex his, quam ex aliis de ipsa-
rum opinione sinistra frequenter auditis, eas merito sus-
pectas habentes, statum earumdem sacro approbante
Concilio perpetuo duximus proscribendum, & à Dei Ec-
clesia penitus abolendum: eisdem & aliis mulieribus qui-
buscumque sub pœna excommunicationis, quam in con-
trarium facientes incurrere volumus ipso facto, injun-
gentes expressè, ne statum hujusmodi dudum forte ab ip-
sis assumptum quoquo modo sectentur, vel ipsum ali-
quatenus de novo assumant.

Ob hanc damnationem Belgicæ Beghinæ etiam à non-
nullis in criminis suspitione vocatæ fuerunt; adeo ut Ant-
verpiæ (referente Zypeo in Jure novo t. De Regularibus
n. 9.) omnia earû bona Fiscoles rationatores arripuerint.

XV. Sed cum habitâ informatione intellexisset Joannes
XXII. immediatus Clementis V. (sub quo Concilium Vi-
ennense celebratum fuerat) successor, multas esse in variis
mundi partibus Beghinâ nullatenus de prædictis errori-
bus suspectas, editis litteris declaravit, hæc sub prohibito-
ne aut abolitioe prædictis non contineri: "Locorum Ordi-
nariis nihilominus injungentes, ut eas sub prætextu hu-
jusmodi nullatenus molestari permittant Et si quid for-
sit ex hoc in bonis aut juribus, à quibuscumque; contra
eas attentatum est hæcenus, vel attentari contigerit in
futurum: per illos prædictos Ordinarios auctoritate no-
strâ in statum reduci debitum volumus: invocato [si o-
pus fuerit] auxilio brachii sæcularis.

Refertur in *Extra. RATIO RECTA De Religiosis Do-
mib. in Comm.*

XVI. Præter hanc generalem declarationem, etiam spe-
cialibus litteris ad Episcopum Cameracensem, Leodien-
sem, & Ultrajectinum (quibus penè totum Belgium tunc
temporis in spiritualibus parebat) id ipsum declaravit; uti
monet Zypæus loco citato n. 10. addens in litteris, ut factâ
inquisitione in mores & religionem Beghinatum, suarum
respectivè Diœcesium, si tales invenirentur, quales in dicta
Extravagante describuntur, non paterentur innocentes
cum nocentibus ad paria judicari, sed ab omni molestia
eximebantur; molestatores, si qui fuerint, per Censuram Ec-
clesiasticam, appellatione remota, compescendo.

Episcopi inquisitione factâ ipsas passim tutati sunt; atq;
ab eo tēpore Beghinæ hinc in Belgio pacificè vivere, ac in-
dies magis magisque multiplicari, & ad uniformem atque
regularem quamdam vivendi normam redigi cœperunt.

XVII. Non eadem fuit Beghinatum fors in Gallia. Cum
enim ait D. Du Cinghe in suo Glossario verbo *Beghina*
Beghinatum institutum haberetur contemptui, sensum
desit, & in earum locum successere Sorores *terti* Or-
dinis *S. Francisci*, quibus ibidem traditæ in urbibus
Galliæ earum ædes.

Neque mirum videbitur, eam fuisse in Gallia Beghina-
rum sortem, qui attenderit, Philippum Pulchrum Gallia-
rum Regem præcipuum fuisse Concilii Viennensis in quo
Beghinatum abolitio decreta erat [promotorem, ejusque
particulare interesse postulasse, ut ejus Decreta executioni
mandarentur; deoque, uti notat Thomassinus in *Disciplina
Ecclesiastica* p. 4 l. 1. c. 62. §. 11. facile potuisse, Philip-
pum Pulchrum omnes Beghinatum Congregationes abo-
levisse, ut Clementi V. & Concilio Viennensi faveret.

XVIII. Norma vivendi Beghinatum, earumque insti-
tutum hodiernum in Belgio, mixtum, ac medium quo-
dammodo est inter Regulare & sæculare sive laicum.

Imprimis si vestes & habitum consideremus, is planè à
laicali est diversus; atque Religioso vestitui conformis; so-
lentque pleræque veste nigrâ uti; atque capitis velamento
instar Monialium.

Secundò professionem aliquam, votumque castitatis &
obedientiæ saltem temporaneum; ritum etiâ quodum solem-
ni sub formula superius relatâ, instar Monialium emittunt.

Tertiò, leges & ordinationes vivendi ab Ordinariis loco-
rum non secus ac Moniales accipiunt; atque eorû visitationi
æque ac Moniales subjacent. Parochum quoque proprium
fere ubique habent, cujus directioni & curæ subduntur,

Fatendum nihilominus, etiam modernum Beghinatum

vivendi genus in multis à Religioso Monialium instituto
discrepare.

Primò nullam votum Religionis perpetuum emittunt,
sed tantum temporaneum castitatis & obedientiæ, non diu-
tius astringens, quam Beghinæ manere volunt; ita ut omni
horâ liberè exire & ab omni voto se eximere, atque matri-
monium contrahere possint.

Secundò, paupertatis votum nullum, ne quidem tem-
poraneum faciunt; sed etiam Beghinæ existentes, manent
rerum suarum proprietariæ, capacesque acquirendi & reti-
nendi, non secus atque aliæ mulieres laicæ & sæculares, i-
isque liberè utuntur, & tam inter viros, quam mortis cau-
sa pro suo arbitrio de illis disponunt.

Tertiò, licet pleræque in Beghinagiis muro & claustro
nocturno vallatis habitent proprias tamen ac separatas æ-
des inhabitant; in quibus rem domesticam administrant; qua-
si laicæ & sæculares matres-familias, mensâ, suppellectilè,
totamque domesticam æconomiam pro suo arbitrio in-
stituentes. Unde vita communis inter eas quoque exulat.

Quartò, clausurâ Monialium non servant sed liberè ex-
eunt; atque per civitatem sua negotia & rem familiarem pro-
curant; consanguineos familiaresque in visum, & domos ci-
viû frequentant, nisi quod certis legibus quoad dies & ho-
ras exeundi & redeundi libertas, per ordinationes & statuta
in plerisque Beghinagiis nonnihil limitata & restricta sit.

Quinto, nullam certâ Regulam à Sede Apostolica pro-
batam profitentur; atque hoc ex capite juxta decisionem
Concilii Lugdunensis in C. 1. *De Religiosis Domibus* in 6.
earum institutum Ordo Religiosus vel status Religiosus
dici nequit.

Hoc sensu accipiendum quod Joannes XXII. in allega-
ta Extravagante, de Beguinis in diversis mundi partibus piè
& ab erroribus immunem vitam agentibus dicit: "Care-
rum statû Beguinatum hujusmodi, quas esse permittimus
nullatenus ex præmissis intendimus approbare." id est
tanquam novum Ordinem seu statum Religiosum.

Neque enim dubium est, Beguinatum vivendi rationè
haberi ab Ecclesia & à Romanis Pontificibus (quibus
multa jam pridem privilegia ac immunitates concesserunt
que in earum archivis etiamnum hodie reperiuntur) tam-
quam laudabilem; & eatenus probatam; ut institutum il-
lud sequentes salutem suam securè queant operari.

XIX. Ad hæc nec illud negandum, quod licet susceptio
habitû Beguinatum, aut earum professio non efficiat eas
verè Religiosas; neque diei queant assumptisse propterea sta-
tû omnino fixum & immutabilem, uti est status Religiosus,
tamen quia per habitum illius assumptione se à sæculo &
mulierum sæculariû vestitu & vivendi ratione ac contuber-
nio separant; atque ad aliquam particularem vitam institutû trans-
ferunt; idque ea intentione ut toto vitæ tempore in eo per-
manent; tametsi absolute possint sine peccato ad sæculum
& communem sæcularium vivendi rationem reverti, etiâ
verè dici potest, Beguinâs eatenus statum seu vitæ condi-
tionem assumpsisse; & ita vulgo creditur, filias professione
Beguinatum emissâ ad statum pervenisse: ac propterea si
consuetudo aut testator aliquid detulerit Filiabus cum ad
statum aliquem pervenerint, id debetur Filiabus factis Be-
guinis, nisi ex circumstantiis appareat, quod consuetudo
vel testator per statum, intellexerit statum Religiosum vel
statum Matrimoniale sive omnino stabilem & fixum, uti
latius deducit Zypæus *Resp. 14. D. Regularibus*.

Denique certum est, Beguinâs potiori ratione dici posse
ad statum etiâ Ecclesiasticum pervenisse qua in filias, quas
hodie *Devotarias* sive *Spirituales* dicimus; utpote nullam
professionem castitatis etiam ad tempus, saltem publicè ac
vi sui instituti emittentes; neque à sæculariû contubernio,
& vivendi communi vulgari instituto æquè ac Beguinâ
se separantes; neque in congregatione sub obedientia Su-
periorum se redigentes, sed quæ vi sui instituti possunt eti-
am inter sæculares aut privatis, uti maluerint, vitam vul-
garem in celibatu sine ullo voto agere; idque in veste à ve-
ste Religiosa plarè disparata: & à vulgari honestarum ma-
tronarum parum diversâ; ubi è contrario vestis Beguina-
rum ad vestem Religiosam proximè accedit.

PARS



PARS SECUNDA

DE

REBUS.

TITULUS PRIMUS

DE

SACRAMENTIS
IN GENERE.

CAPUT PRIMUM

De Sacramentorum Essentia, Numero, & Divisione.

1. *Varia significaciones vocis Sacramenti*
2. *Quid propriè hodie dicatur Sacramentum; ejusque definitio.*
3. *Quid de Sacramentorum institutione eorumque numero habeat hodierna Fidei professio?*
4. *Quid doceat Synodus Tridentina?*
5. *Quoad numerum conveniunt Ecclesia Latina & Græca.*
6. *Quando inceperint Sacramenta explicari per formas & materias?*
7. *Unde hæc explicandi methodus initium habuerit?*
8. *Questiones hic moveri solite Theologis relinquuntur.*
9. *Divisio Sacramentorum in necessaria & voluntaria; & quomodo hic Canonista à Theologis dissentiant?*
10. *Sacramenta alia imprimuntur characterem, alia non imprimuntur.*
11. *Quid sit character?*
12. *Sacramenta alia reiterabilia, alia non reiterabilia.*
13. *Patres dum dixerunt quædam Sacramenta iterari non posse; etiam Characterem imprimi dixerunt.*
14. *Explicantur Decretales sub titulo De Sacramentis non iterandis.*
15. *Olim Sacramenta non iterabilia rursus conferebantur dum rationabiliter de eorum validitate dubitabatur; idque sine expressione conditionis.*
16. *Quando invaluerit forma conferendi sub conditione?*
17. *Quandonom Sacramenta characterem imprimuntur & præcipuè Baptismus sint sub conditione reiteranda?*
18. *An baptizati ab Hæreticis sint hodie rebaptizandi sub condicione?*

I. **V**ocis Sacramentum variaz sunt tam apud Profanos, quam Ecclesiasticos Auctores significaciones.

Primò quidem significat juramentum, divino testimonio firmatum uti in *Authentica SACRAMENTA PUBERUM Cod. Si adversus vendit*. Secundò sumitur pro secreto sive arcano

Van Espen Jus Eccles. P. II.

sacro, prout id accipit Apostolus ad Ephesios 1. *Ut notum faceret Sacramentum voluntatis suæ*, id est, arcanum suæ voluntatis circa prædestinationem Electorum. Tertio extenditur etiam ad designanda mysteria, licet non sint facta. Ita apud Joannem in sua Apocalypsi cap. 17. res illæ occultæ significatæ per bestiam & mulierem, vocantur Sacramentum bestia & mulieris. Quarto Sacramentum interdum sumitur pro abstracto à Sacramentis propriè dictis, & à Sacramentalibus, qualia sunt ceremoniæ in Sacramentorum administratione adhiberi solitæ. In hac significatione legitur apud Augustinum lib. 2. de peccat. meritis cap. 26. Quintò accipitur subinde pro ipsa Missarum liturgia, uti nonnullis adductis testimoniis notat du Cange in Glossario verbo, *Sacramentum*.

II. Denique vox *Sacramentum* jam pridem à Patribus, & hodie communiter accipitur pro Sacramento propriè dicto; definiturque in *Can. 32. Dist. 2. de Consec.* sub nomine S. Augustini: *Invisibilis gratia visibilis forma*. Verum, uti latè innuunt Correctores Romani ad citatum Canonem, hæc definitio apud Augustinum iis verbis expressa non reperitur; sed in libro de catechizandis rudibus cap. 26. hæc leguntur: "De Sacramento sanè quod accepit, cum ei bene commendatum fuerit, signacula quidem rerum divinarum esse visibilia, sed res ipsas invisibiles in eis honorari." In epistola autem 166. hæc: "Si autem malus est, operatur per illum Deus visibilem Sacramenti formam, ipse autem donat invisibilem gratiam." Hæc Augustinus. Ex quibus locis [inquit Correctores R.] videtur colligi potuisse vulgata ista Sacramenti definitio.

Hodie à Theologis sequitis Catechismum Romanum traditum communiter hæc Sacramenti definitio: *Invisibilis gratia visibile signum ad nostram justificationem institutum*.

Definitionis illius expositionem latè post citatum Catechismum prosequuntur passim Theologi Scholastici præsertim qui ex professo de Sacramentis scripserunt.

III. Fidei professio à Pio IV. præscripta, & hodie ubique per Ecclesiam Catholicam recepta de Sacramentorum institutione & numero habet: "Profiteor quoque septem esse

Bb

esse